

Quinto, dicitur Communio, hoc est communis fidelium unio, & inter se, & cum Christo; ut habet Apostolus prima ad Corinthios 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, quod de uno pane participamus.* Et Cyprianus epist. 54. *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus; & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et Chrysostomus homil. 24. in primam ad Corinthios ad illa verba Apostoli: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* hæc scribit: *Cur non dixit, participatio? quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare conjunctionem. Non solum enim communicamus, eo quod sumus participes, & sumimus, sed etiam eo quod uniamur. . . . Quid enim, inquit, dico communicationem? sumus ipsam illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem sunt, qui sumunt? Corpus Christi: non corpora multa, sed unum corpus. Ut hanc communionem ostenderent majores nostri, particulas, ex eadem panis consecrati mole excisas, plebi communicaturæ tradere solebant; Unde & illæ, quæ populo dantur particule dictæ sunt; Qui mos etiam modo apud Orientales durat, qui non plures panes consecrant, sed unum tantum, qui in particulas divisus toti populo sufficiat. Cæterum hoc communionis nomen, quanvis proprie Eucharistiæ conveniat, in sacris tamen Canonibus, & in Ecclesiasticis Scripturis, non raro sumitur pro omni eo, in quo homines secum invicem communicant, sive ad civilem societatem,*

Pars VIII.

pertineat, sive ad ecclesiasticam.

Sexto, dicitur Synaxis, idest conventus, seu congregatio; vel quia præcipue fidelium conventus sunt, ad hoc Sacramentum, quando venerandum, & quando participandum; vel quia est Sacramentum unitatis, pacis, & concordie inter fideles; ut asserunt Author libri de ecclesiastica hierarchia, cap. 3., & Sanctus Ignatius Martyr epist. ad Ephesios.

Septimo, vocatur Eulogia, seu Benedictio; quia hoc mysterium per benedictionem, vel consecrationem fuit a Christo confectum, & modo a Presbyteris conficitur, ut S. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Nestorium. Verum, nonnunquam Eulogie ab Eucharistia distinguuntur, quatenus significant particulas excisas ex panibus oblatis a populo, qui licet consecrati non essent, peculiari tamen benedictione sanctiores facti fuerant; easque particulas Episcopi fidelibus distribuunt, qui ob aliquam causam, quæ ipsorum culpa non erat, ab Eucharistia recedebant. Dabantur etiam Eulogie ad communionem Ecclesiarum inter se ostendendam, de qua multi canones intelliguntur, præcipue Canon 15. Concilii Laodiceni.

Octavo, dicitur Cœna Domini, vel Cœna dominica, ratione temporis, & horæ, quibus hoc Sacramentum institutum est. Ea tamen vox apud Patres frequens non est, quia fideles ab ipso Ecclesiæ exordio jejuni ad Eucharistiam accedebant; Et hujus cœnæ figura est cœna illa, cujus parabolam Christus Dominus proposuit Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.*

Nono, dicitur Mensa Domini, vel quia fideles ad altaris cancellos, tanquam ad sacram mensam communicaturi accedebant, ut habet Apostolus 1. ad Corint. 10., vel quia post susceptam Eucharistiam fideles solebant ad communes epulas convenire, in quibus pauperes a ditioribus resciebantur, & quæ agape dicebantur; & de his infra fufius dicturi sumus.

Decimo, Viaticum appellatur, quando scilicet Sacerdos ægrotanti cum mortis periculo eam elargitur, & hæc verba profert: *accipe frater Viaticum &c.* Viaticum autem idem est, ac cibus itinerarius, quia hoc cibo munimur ad

A 2

iter